



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1626

Caius Gracchus. Capvt XLVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

Caius Gracchus.

CAPVT XLVIII.

Sed ecce in manibus viri & præstantissimo ingenio, & flagranti studio, & doctus à puero C. Gracchus: Noli enim putare quenquam pleniorē, & vberiorē ad dicendum fuisse. Et ille sic prorsus, inquit, sic existimo, atque iustum penè de superioribus solum lego. Imo planè, inquam, Brute legas censeo: Damnum enim illius immaturo interitu res Romanæ, latinæque fecerunt. Vtinam non tam fratri pietatem, quam patriæ præstare voluisset. Quam ille facile, tali ingenio diutius si vixisset, vel paternam esset, vel auitam gloriam consequutus. Eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem. Grandis est verbis, sapiens sententijs, genere toto grauis. Manus extrema non accessit operibus eius: præclare inchoata multa, perfecta non planè. Legendus est hic orator, si quisquam abus iuuentuti, non enim solum acere, sed etiam alere ingenium potest. Hæc Cicero, Plutarchus etiam tum iuuenem vocalissimum, & firmis lateribus ad dicendum fuisse memorat, qui cum Vestij causam defenderet populo, præ gaudio lymphato, & bæchante cum eum audiret, ostendit ceteros oratores nihilo pueris præstare.

Ciceronis & Bruti de Caiso Graccho honorificum iudicium.

Eius virtutis.

Valer. Max. l. 3. c. 19.

Quoties apud populum concionatus est, seruum Erycinum post se musica artis peritum habuit, qui occultè eburnea fistula pronuntiationis eius modos formabat, aut nimis remissos excitando, aut plus iusto concitato reuocando, quod ipsum calor, atque imperus actionis, attentum huiusce temperamenti æstimatorem non patiebatur. Extat nobilissimi ingenij fragmentum in ea aporia, & querela, quam habuit ad populum. Quo me miser conferam? In capitoliumne; at fratris sanguine redundat? An domum; matremne; vt videam lamentantem, & abiectam? &c. Hæc inclinata voce pronuntians ipsis inimicis lachrymas excussit.

N. N.

a Hic est vt ait Plutarch. in Graccho, quo dicente P. R. præ gaudio videbantur oculi vniuersi, & lux in oculis iuxta quem ceteri oratores nati vniuersi diuinitatis videbantur.

b Primus inter dicendum in Rostris deambulauit & togam ex humero diduxit iuxta Cleonis illius Athenensis exemplum, qui seuulso pallio

nudatum femur percutiebat. Vide Plutarch. in Graccho.

Quintus Catulus.

CAPVT XLIX.

Iam Quintus Catulus non antiquo illo more, sed nostro (nisi quod fieri potest perfectius) eruditus, multæ literæ, summa vitæ, non solum naturæ comitas, incorrupta quædam latini sermonis integritas, quæ perspicitur, cum ex eius orationibus potest, tum facillimè ex eo libro, quem de consulatu, & de rebus gestis suis conscriptum molli, & Xenophonteio genere sermonis misit ad Aulum Fulvium Poetam familiarem suum. Hæc Cicero in Bruto, qui multa sanè huic vbique tribuit, sed præcipue laudem incorrupti sermonis, quæ virtus non est in oratorijs ornamentis subobscura. Nam & in oratore ait, quid iucundius auribus nostris ynquam accidit huius oratione Catuli? quæ est pura sic, vt latine loqui penè solus videatur. sic autem grauis, vt in singulari dignitate omnis tamen adsit humanitas, ac lepos. Quid multa istum audiens sic iudicare soleo, quicquid aut addideris, aut mutaueris, aut detraheris vitiosius, & deterior futurum.

Laus Catuli insignis.

Marcus Antonius.

CAPVT L.

Quam multi oratores commemorati sunt, & quandiu in eorum enumeratione versamur, cum tamen spisse, atque vix, vt dudum ad Demosthenem, & Hyperidem, sic nunc ad Antonium, Crassumque peruenimus. Nam ego sic existimo, hos oratores fuisse maximos, & in his primum cum Græcorum gloria latine dicendi copiam æquatam. Omnia veniebant Antonio in mentem: eaque suo quæque loco, vbi plurimum proficere, & valere possent, vt ab Imperatore equites, pedites, leuis armatura, sic ab illo maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio. Imperatus semper aggredi ad dicendum videbatur, sed ita erat paratus, vt Iudices, illo dicente, nonnunquam viderentur non satis parati ad canendum, fuisse verba ipsa, non illa quidem elegantissimo sermone,

Iudicium Ciceronis de Antonio, & Crasso. In Antonio, & Crasso Romana eloquentia, cui Græca æquata. Antonii doctus. Prudentia & æconomia dicendi. Memoria.